



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Svpplementvm Tertiæ Partis

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtrum solus sacerdos habeat sigillum confessionis? 3

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38817**

SED contra, Sigillum confessionis est aliquid annexum sacramentali confessioni. Sed ea quæ annexa sunt alicui sacramento, non se extendunt ultra sacramentum illud. Ergo sigillum confessionis non se extendit nisi ad ea, de quibus est sacramentalis confessio.

RESPONDEO dicendum, quòd sigillum confessionis directe non se extendit, nisi ad illa, de quibus est sacramentalis confessio. Sed indirecte, id quod non cadit sub sacramentali confessione, etiam ad sigillum confessionis pertinet, sicut illa, per quæ potest peccator, vel peccatum deprehendi. Nihilominus etiam illa summo studio sunt celanda: tum propter scandalum: tum propter pronitatem, quæ ex consuetudine accidere possit.

Et per hoc patet responsio ad Primum.

Ad secundum dicendum, quòd aliquis non debet de facili aliquid recipere hoc modo. Si tamen recipiat, tenetur ex promissione hoc modo celare, ac si in confessione haberet, quamvis sub sigillo confessionis non habeat.

ARTIC. III.

*Utrum solus sacerdos habeat sigillum confessionis?*

46

D tertium sic proceditur. Videtur, quòd non solus sacerdos sigillum confessionis habeat. Quia aliquando aliquis confitetur sacerdoti per interpretem necessitate urgente. Sed interpretes (ut videtur) tenentur confessionem celare. Ergo etiam non sacerdotes aliquid sub sigillo confessionis habent.

¶ 2 Præterea, Aliquando aliquis in casu necessitatis potest laico confiteri\*. Sed ille tenetur peccata celare, cum sibi dicantur sicut Deo. Ergo non solum sacerdos sigillum confessionis habet.

q. 8. a. 2.

¶ 3 Præterea, Aliquando aliquis se sacerdotem fingit, ut conscientiam alterius exploret per hanc fraudem: & ille etiam (ut videtur) peccat, si confessionem reuelat. Ergo non solum sacerdos sigillum confessionis habet.

H 3 SED